

### Salus A

Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire, nullum invitatum, salutem nisi Deo auxiliante operari nullum nisi orantem auxilium promereri, nullum voluntate Dei perire sed permissu.

Augustinus in libro de diffinicionibus.

### Salus B

Nullum omnipotenti Deo tale sacrificium quale est zelus animarum.

Gregorius homelia 12. super Ezechielem.

### Salus C

Monstratur quod non omnes divites pereunt, nec pauperes salvantur universi, sed ex istis et illis salvantur et pereunt.

Chrysostomus super illud Matthei 24: Unus assumetur et alter relinquetur.

### Salus D

Tria sunt que ab inicio et ante adventum Christi et post ad salutem obtinenda necessaria fuerunt, scilicet fides et sacramenta fidei et opera bona, que tria ita coherent, ut salutis effectum habere non possint, si simul non fuerit, quia nec fides meritum habet, si dum potest operari negligitur, nec opus bonum est aliquid si sine fide sit, et rursus fides operans hominem sanctificare non sufficit, si eam que in sacramentis Dei constat sanctificationem concipere contemnit.

Hugo de sacramentis libro 1. particula 10.